

pro sublimitate nominis et potentiae superbius hoc sibi apud populum vindicando.

Rogatio haec semper est gratiosissima.

Quoniam ... verbum est et interdum potest rogationem id est ... significare, idcirco hic admonendum lectorem putavi rogationem a Tullio cum maxime petitionem significari, quae facta sit pro candidato.

An Minturnenses coloni, quod C. Marium e civili ferro atque ex impiis manibus eripuerunt. § 26.

Iam narratum a me hoc exemplum plenissime scio C. Mari, qui Syllanis armis cedens cum filio in Minturnensium paludibus latuit. Inde emissus, quoniam non potuisset occidi, navigio inpositus in Africam pervectus adusque dirutae Karthaginis fines. Inde armis Cinnanis in Italiam restitutus et adeptus denique septimum consulatum.

Quod me vel vi pulsum vel ratione cedentem.

Prudenter hoc suspendit, ne aut damnatus aut exul fuisse umquam videretur. Et vis enim prior est iniuriae quam accusationi et ratio, qua se dicit maluisse urbe recedere, respectum habuisse potest utilitatis publicae: ne periculosa multis seditio moveretur.

Hic est enim, qui adulescentulus cum Aulo Torquato profectus in Africam sic ab illo gravissimo viro dilectus est. § 27.

Ante actae vitae officia recensentur quadam subiecta ... numerante oratore, quibus locis quibusque temporibus et cuiusmodi virorum iudicio Cn. Planci mores comprobati sint. Quod ipsum statim vigilanter erga personam Torquati facit, cuius gravitatem et sanctimoniam